Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 445
Quelle:
Copyright:

Postea: *Incipit prefacio Sancti Jeronimi presbiteri ad chromatium de expositione origenis in ihesu Naue.* Pro *Hieronymo* rescribe ejus ἀντιαγωνιστὴν *Rufinum;* is enim interpres est. Textus harum Homiliarum collatus cum Edit. *cit.* a *col.* 396. minus correctus est. Praeterea *fol.* 88. p. 2. *Homil.* IV. rursum membrana nobis deperiit a verbis: *descendit de celo et dat huic* — usque ad verba *Homil.* V. *salutarem et suscipientibus sacramenta uerbi dei* &c.

CCLX.

U. 82 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 47. 4. bene exaratus et rubricis distinctus, olimque a *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* donatus Collegio suo ad *D. Nicolaum*, ut typis expressa Nota anni 1540. praemonet, orditur ab hoc Titulo: *Incipit Liber origenis de singularitate clericorum.* Initium est: *Emiseram quidem vobis ante tempus epistolam filii karissimi* &c. et finis: *Hec agite. et deus pacis et dilectionis erit uobiscum. Amen.* Dixi de hoc alias ad *Cyprianum*, alias ad *Augustinum* relato Opusculo *Vol.* I. P. 1. *col.* 827. Adhaeret illi in Exemplo praesenti *Origenis* Locus in *Genesin: Nemo qui eger est animo et languidus in operibus — Opera namque sunt que commendant hostiam deo.*

II. *fol.* 18. *Incipit liber S. Hylarii ad constantium imperatorem tunc hereticum.* Sic: *Tempus est loquendi. Quia iam tempus preteriit tacendi* &c. Adest *Additamentum* sumtum de L. II. *de Trinitate*, ut in Exemplis adlatis *Vol.* I. P. 1. *col.* 634. et *seqq.* In Edit. *Maur. Paris.* 1693. habetur *col.* 1237.

III. *fol.* 24. *Ex epistola s. Hilarii transmissa ad constantium.* Non est Excerptum, sed integer Libellus, unde Librarius fortasse scribere debebat: *Exemplar Epistolae.* Incipit: *Benignifica Natura Tua Domine Beatissime* &c. et finit: *de se loquitur ipsa sententia.* Ut *Vol. suprac.* et Edit. *col.* 1217.

IV. *fol.* 25. p. 2. ἀνεπιγραφως Ejusdem Libellus II. ad eundem. Incipit: *Non sum nescius Piissime imperator que de nonnullis* &c. et finit: *ab ea iuxta ista non dissonans.* ut *Vol. suprac.* et Edit. *col.* 1225. Inscriptio miniata: *Liber II. Eiusdem Ad Eundem Quem In Constantinopolim ipse tradidit*, in Codice primum *fol.* 28. subpleta est. Subjuncti sunt his VII. Loci *Hilarii* promti ex ejus LL. *contra Auxentium, de Trinitate*, et *de Synodis.*

V. *fol.* 29. Excerpta numerosa ex Operibus S. *Ambrosii*, videlicet *de Spiritu s. Incarnatione, Fide, de Joseph, Bono Mortis, Apologia David, de Patriarchis, de Exequiis Fratris, de Paradiso, in Lucam.* Exemplar satis castigatum nactus erat ignotus Deflorator.

Fol. 47. Verficuli quidam, quorum en Specimina. *De Cruce:*

Quat-